



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CXLVII. Differentia 18. Iudex ordinarius secundùm leges adientiam
causarum committit tantum consiliarijs suis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

XVIII.

DIFFERENTIA. 18.

Iudex ordinarius secundum leges audientiam causarum committit tantum consiliarijs suis. *Auth. Adhæc. C. De iud. §. Cetera licet.* secundum Canones verò cuique committere potest. *c. Pastoralis.*

28. *De offic. deleg. Bartol. 15.*

Nominata *Auth. adhæc*, cum dixerit præfidi seu ordinario iudici alijs negotijs impedito causam delegare, posse reservatâ sibi sententiâ, subdit idem delegato permitti. Subdelegare enim non potest, sed tantum cognitionem, & prolationem alijs committere. Quod verò additur, consiliarijs committendum esse, non de consiliarijs natis quales in Gallia sunt Prælati Ecclesiastici quidam *Tholos. teste l. 47. c. 25.* neq; de electis, & stipendio conductis intelligitur, sed de assessoribus iudicij, qui vel lege aliqua vel consuetudine, vel ipsius iudicis arbitrio adhibentur, quemadmodum *Glossa notat.*

II. Paulum diversa sacrorum Canonum dispositio videtur. Nam *c. Pastoralis* propositâ quæstione, an si delegatus à principe alteri committere vices suas velit, isque suscipere renuat, compelle re illum ad susceptionem possit: respondet *Innoc. III.* omninò posse, quia iurisdic-tio absque coercitione nulla est. *l. fin. ff. de off. eius, cui mand. est iurisd.* Item committere alicui partem causæ posse *c. v. g.* ut citet reum, audiat testes, &

firm. Nec indicatur ulla differentia personarum, quasi solis consiliarijs uti debeat, sed arbitrio ipsius relinquitur, ut quos idoneos viderit, adhibeat. Sollicitè autem invigilabit, ut si exigente necessitate negotium iudicaverit alicui committendum, in coactionibus inferendis dignitati deferat & personæ. Alio modo agendum cum viro in dignitate confuturo, alio cum illis qui inferiori in subfello consistunt. Nam ex. gr. *Cuculus ait*, si Episcopo quis delegare velit, non debet eum confestim his modis cogere, quibus alium inferiorem cogeret: sed modestia cum eo utetur, supremi ordinis rationem habens. Quare illi primò Ecclesiæ ingressum interdicit, vel sacerdotalis officij executionem post etiam ab officio suspendet. Denique si pertinaci animo perseverarit, excommunicationem quoque irrogabit. Quod si ab initio admodum contumacem se ostenderit, iam tum licebit Ecclesiastica censura uti. *v. Zerolam Par. 1. in v. Delegatus. Piafec Par. 2. c. 4. Vallens. l. 1. ff. 29. n. 3.*

Antinomia

X

DIF.